DISPUTATIO MEDICA

DE

SCARLATINA.

AUCTORE ROBERTO BUCHANAN.

PRAEFANDA.

EA valetudinis adversae genera, quae summam cutem male habent, a nuperis medicis quibusdam aliquanto subtilius et felicius exculta fuerunt: VILLANUS que et BATEMANUS laurum merito sibi praetulerunt; quippe qui ordine lucido hoc argumentum multiplex, et antea indigestum, illustrarunt. Nec sane celandum, clarissiumum BICHATUM, membranarum omnium dotibus et muneribus patefactis, haud parum lucis cutis morbis attulisse. Quum mihi contigit, inter



aegros curandos, multis iisdem laborantibus interesse; summos jam honores medicinae ambiturus *Scarlatinam* selegi, de qua pauca literis mandem. Non quod profiteor novi me aliquid explorare posse. In animo est, non nisi praecipua huc attinentia quae auctores spectatissimi edocuerint, paucis ostendere.

Perquam admiror, *Scarlatinam*, quanquam nostratibus necem creberrimam adsciscit, et, tabo pestilente ejus parente celerrime circumvolante, quam latissime patet, antiquis tamen, cum Graecis, tum quoque Latinis, tantum non ignotam fuisse. HIPPOCRATES, CELSUS, aliique veterum de ea pene silere videntur: quos, cum satis constat acerrimo eos studio et insigni solertia singula morborum propria circumspexisse, non *Scarlatinam*, malum notis sui similibus et admodum manifestis insignitum, praetermisisse; sed hanc defuisse judicandum.

Medici Hispani et Italici, omnium primi,

quantum scio, libros ediderunt, de morbo proposito conscriptos. LUDOVICUS MERCATUS tradidit, anno circiter MDCXIV^to *Scarlatinam* quasdam provincias et civitates Hispanicas populatam esse; exinde profectam, ad Siciliam, Melitam, aliasque insularum Mari Mediterraneo circumfusarum transiisse; demumque, anno MDCXVIII, NEAPOLIM, agrosque ei vicinos petiisse. Saeculo decimo septimo ineunte, Londini vulgaris erupit, teste SYDENHAMO. FOTHERGILIUS vero, anno MDCCXLVII, primus luculenter hunc morbum descripsit, clariusque ejus naturam edocuit. Pluresque viri eximii animos ab eo tempore huc verterunt: neque conjicere licet nuper eundem crebriorem quam olim grassari coepisse. Ita argumentum propositum distribuere placuit, ut disputetur, imprimis.

I. De Definitione, et multiplici hujus morbi specie.

II. De Signis.

III. De Causis Scarlatinae faciei mutatricibus.

IV. De Diagnosi.
V. De Prognosi.
VI. De Medendi Ratione.

DE DEFINITIONE ET MULTIPLICI HUJUS MORBI SPECIE.

Auctores, inter disserendum de *Scarlatina* et *Cynanche maligna*, nequaquam inter se, quod ad harum naturam et ortum consentire videntur. CULLENUS, ejusque aemuli hasce invicem diversas existimant. Alii contra contendunt unicam causam, nempe tabum pestilens, utramque parire: vel, uti alias eloquar, easdem esse unum genus adversae valetudinis duplici forma instructum. Quum demum satis constat, hosce recte judicasse, ea voce "Scarlatina" uti placet, ad omnes *species* et varietates complectendas ejus morbi multiplicis, qui membranam oris, faucium, amygdalarum, et linguae inflammatione sui simili et *erythemoidea*, febris excitatrici, implicat; et deinde cutem summam maculis fere rubefacit. Eandem ita

definio: "Pyrexia contagiosa: membrana "oris, linguae, faucium et tonsillarum plus "minusve rubra, tumida, saepe exulcerata; "tertio quartove die, cutis summa maculis "amplis, ruberrimis vel purpureis, frequen-"ter coalescentibus, efflorescens; triduo fere "in squamulas furfuri similes abeuntibus: "*anasarca* saepe superventura." Hujus morbi forma quadruplex esse apparet. Interdum, ore lingua et faucibus non nisi leviter rubefactis, nec exulceratis, cutis ubique saturrimo rubore floret: quod genus "mali "*Scarlatina Simplex*" vocatur. Modo, ore, faucibus, lingua, &c. tumentibus, ruberrimis et exulceratis, summa cutis ita fere, ut jam retuli, efflorescit: quod malum "*Scarlatina Anginosa*" apud medicos nominatur. Quod si, viribus perquam dilapsis, membrana oris, linguae, faucium livet, minus intumescit, et ulcera crustis cinereis obducta exhibet; cutisque maculis purpureis hic illic sparsis foedatur, "*Scarlatina* "*maligna*" urgere dicitur. Denique, quoties fauces, os et lingua ita se habent, ut jam

nunc proposui, cute summa non omnino maculata, id malum *Cynanchen malignam* appellari oportet.

Sequitur ut paucis exponam, quare mala proposita uno contagio omnia nasci, et unum genus adversae valetudinis forma multiplici instructum constituere, videantur. Res est igitur medicis notissima, contagium quovis horum malorum oriundum reliqua saepe intulisse: nimirum, siquis *Scarlatina simplici* aegrotat, sanos huic vicinos, tabo pestilenti accepto, frequenter incidere, alios in *Scarlatinam anginosam*, alios in *Scarlatinam malignam*, alios in *Cynanchen malignam.*

Huc accedit haec mala, in eodem corpore, modo, aliud in aliud, abire: semperque, quoties *Scarlatina* alicubi grassatur, omnes ejus formas jam relatas observari. Quum igitur non inficiandum unicum tabum pestilens tot mala arcessere, non alienum erit inquirere quo fiat, ut effectus tam multiplex causa simpli-

ci exoriatur. Corporis natura, coelique et tempestatum rationes causae sunt hujus morbi mutatrices: ne multaque, quo magis langueant vires, et quo plus operae coeli et tempestatum ratio conferat ad easdem sedandas, eo vehementiori et maligniori inflammatione membrana *mucosa* torquebitur, eoque minus efflorescet summa cutis: quo vero aliquis vegetior sit, eo minus os et fauces, eoque potius cutis rubebit.

Haecce praefatus ad signa hujusce morbi describenda transibo.

DE SCARLATINÆ SIMPLICIS SIGNIS.

Sydenhamus omnium optime *Scarlatinam simplicem* descripsisse videtur. Incipere solet, uti alii morbi acuti, ex horrore, artuum languore, mentique turbata. Hisce malis accedunt gravitas circa praecordia, nausea, vomitus, sitis, quaesitissima, cutis arida et ardentissima. Arteriae salire incipiunt

languide, citissime, centies ampliusve, quaque sexagesima horae parte. Fauces et lingua nunc inspectae leviter rubere percipiuntur, ulcerum vero integerrimae.

Die secundo tertiove, cutis summa maculis saturrimo rubore florentibus, creberrimis et confluentibus, efflorescit. Hae vero pene omnibus faciem primo obtegunt; deinde cervices; postea, caeteras corporis partes. Haud perperam medici ita hasce maculas descripserunt, ut summam cutem *locustam marinam* coctam simulare retulerint. Vesperi et noctu corpus colore saturiori indies rubescere consuevit: idque potissimum die tertio quartove evenire solet. Paulo postea cutis leni tepidoque sudore humere incipit: febrisque notae inclinantur. Septimoque circiter die, *cuticula* crassior et densior, quam fert natura, in squamulas furfuri similes abit; et insigniter prurit; ruboreque evanescente, deflorescit. Haud raro supervenit aqua intercus, vel corpore validissimo; cujus rei rationem paulo infra explicabo. Valetudo inte-

gerrima brevi redire consuevit: et nunquam, quantum scio, hoc *Scarlatinae* genus vitae ipsi perniciem minitatur.

DE SIGNIS SCARLATINAE ANGINOSAE.

Multo saepius, morbus, quem prosequor, membranam *mucosam* et cutem simul implicat; sic quoque, ut utraque vehementer rubeat, et illa exulceretur. Malum hujusmodi, nimirum, *Scarlatina anginosa,* hisce indiciis denunciatur. Eadem signa, graviora sane, hanc, quae *Scarlatinam simplicem,* ineuntem comitantur. Anxietas et animorum languor quaesitissima, capitis dolor, vomitus subinde biliosus, perquam cruciant. Musculi circa humeros et cervices obrigent; non multo postea, membrana oris, linguae et faucium laetissime rubet, et aliquantum tumet, haud citra devorandi et spirandi difficultatem. Papillae linguae praeter naturam prominent et patescunt: amygdalae, palatum molle, et *uvula* non solum rubore saturrimo

nitent; sed exuviis vel crustis albidis caesiis aut cinereis obteguntur; quibus ulcera mali generis subjecta humorem foedum secernunt. Quoties hic morbus pejor et acerbior premit, fauces admodum tument: interdum quoque *catarrhi* notae affligunt, veluti, destillatio, gravedo, tussis, palpebrae tumidae, oculi illachrymantes, et aliae istius modi. Pituita foeda os, linguam et fauces inquinat; anhelitusque male olet. Nonnunquam glandes salivae secretices tument, dolent, et demum suppurant; aegreque sanescunt.

Inter principia, arteriae saliunt citius et exilius quam ex consuetudine; modo equidem fortiter et dure: malis vero increscentibus, languidissime, nec paribus intervallis. Vesperi febris intenditur, aegro interdum delirante. Corpus valde incalescit: secernenda parum secernuntur, excernenda parum excernuntur: sitis cruciat: spiritus trahitur et emittitur crebro et difficulter. Secundo tertiove die, subinde

quarto, cutis efflorescere coepit, ita fere ut *Scarlatina simplici* vexatis. Quibusdam, cute rubere incipiente, febris mitescit, et faucium inflammatio inclinatur: quod tamen perpetuum non est. Modo enim *angina* exasperatur; frequentius vero mitigatur, prodeunte cutis rubore. Hancce fortasse legem ferre licet; os et fauces tanto levius inflammari, quanto summa cutis gravius erubescat et exardeat; tantoque acerbius, quanto minus. Cutis incerto tempore deflorescit. Si mala mitiora affligunt, summa cutis infuscari coepit die secundo tertiove post ruborem inceptum: haud multo postea, *cuticula* in squamas exiguas istas abit. Si inter haec aeger insudat, viribus simul non lapsis, salus brevi redire consuevit, aqua intercute levi vel nulla secutura.

Nonnunquam, febris recidiva cutem deflorescentem excipit, haud citra aliquid ruboris: scilicet, aeger revalescere jam apparens relabitur. Hoc praesertim iis accidit, quibus sudor non *cuticulam* in squamas abeuntem

comitatur. Nunc metuendum, ne aeger absumatur, certeve ne morbus pertinax diu trahat: eoque potius, si sudor adhuc desit. Pertinax istud malum denunciatur summo animi et corporis languore; artubus dolentibus et rigidis, cibi fastidio; vigilia nocturna; pulsu arteriarum exilissimo; urina parca. Hisce aqua intercus mitior aut gravior nunquam non accedit: aliquando profecto *hydrops* omnibus membranis *serosis* evenit, Fieri quoque potest ut *phrenitis hydrocephalica* superveniat. Denique, fatendum, *Scarlatinam anginosam* frequenter valetudine secunda mutari, aut medicina aut alma natura medicatrice.

DE SCARLATINAE MALIGNAE NOTIS.

Uti *Scarlatina anginosa* deterior et terrentior est quam *simplex*, ita *maligna* plus perniciei sibi praefert, quam *anginosa*. *Maligna* jam iniens perinsignem virium resolutionem exhibet: anxietas et inquietudo cru-

ciant: gravitas circa praecordia fere impatibilis est. Dolor capitis, dorsi et lumborum, nausea, vomitus, modo delirium aut stupor inter ipsa principia angunt. Fauces, os et lingua purpurascunt; at minus tument. Devorandi difficultas exercet, at lenior quam *Scarlatina anginosa* praesenti. Lingua admodum tenera fit, et livet, praecipue ad ejus radicem; quae pituita viscida multa obducitur, respirationem valde impeditura.

Amygdalae partesque iis propinquae crustis cinereis vel subatris ulcera tegentibus obsidentur; quae, haud secus atque *Scarlatinae anginosae* propriae, abrasae brevi renascuntur. Humor nempe acer ulceribus ortus siccescens crustas facit: idem porro fauces et labia totumque alimenti meatum aliquando perquam irritat, alvumque fundit. Vesiculae eodem refertae labiorum faciem interiorem occupant: effususque identidem circumjectas partes rodit, pelleque nudat. Anima insigniter foetet; aeger anhelat crebrius aequo et difficilius; suspiratque. Oculi quasi

luridi et suffusi hebetantur. Motus arteriarum ab ipso initio celerior est, imbecillus et inaequalis. Urina redditur pallida et justo parcior; alias, rufa, vel fusca, natura crassa furfuri simili subsidente.

Die fere secundo aut tertio, modo maturius modo serius, cutis purpurascere vel livere, non erubescere, coepit. Maculae sunt purpureae, amplae, nec iis absimiles, quae *typho* vel *purpura haemorrhagica* aegris cutem inquinant. Facies et cervices primae omnium partium maculantur: deinde, reliquae partes. Maculae non semper confluunt ubique corporis; sed interdum invicem disjectae erumpunt, spatiis, exiguis sane, interjectis. Manus et pedes perquam rigent et tument: Die fere quarto post maculas ineuntes, rubor, vel potius livor, evanascere consuevit; neque vero mala illico leniuntur. Contra, viribus, uti videtur, redintegratis, progrediuntur; humoreque acri, de quo memini, per vasa *lymphatica* absorpto, glandes cervicis *conglobatae* inflammantur et turgent:

collum universum exinde intumescit et livet; infelixque strangulatus saepe absumitur. Nonnullis, membrana *mucosa* animae meatus inflammationis particeps facta fuit: quem casum mors brevi excipit. Si pulmo afficiatur, pertimescendum. Non equidem defuerunt exempla inflammationis ad membranam interiorem gulae et ventriculi pertinentis; quod fere lethale est: Subinde nasus, labia, et fauces *gangraena* diruuntur, exuviis quasi mortuis exputis. Quidam pereunt, sanguine e naribus, auribus, intestino aliisve partibus *membrana mucosa* obtectis, profuso: alios alvi fluxus acerrimus abripit. Quaecunque vero notae mortis sint praenunciae, scire licet *Scarlatinam malignam* hunc eventum ob gangraenam illatam, et vires labefactas, moliri. Neque tamen semper desperandum: vel enim *maligna* aliam aliis sibi speciem induit. Meminisse quoque juvat, *Scarlatinam* persaepe faciem prae se ferre inter propositas mediam; scilicet, mediam inter *simplicem* et *anginosam*; vel inter hanc et malignam prodire posse: pröut corporis proprietates, aetas, et alia ejusmodi varient.

DE CYNANCHES MALIGNAE NOTIS.

Cullenus eo nomine, "*Cynanche maligna*" utitur ad malum quod "*Scarlatinam malignam*" hodierni appellant, designandum. Eodem usus nomine istud malum pessimum insignire volo: quod fauces ita, ut *Scarlatina maligna*, afficit, cute summa integra: Constat igitur paucis opus esse verbis, ad hanc valetudinem describendam. Satis est notare linguam, os et fauces insigniter purpurascere; easdemque ulcera et crustas caeteraque signa exhibere, de quibus paulo antea memini: gangraenam semper instare; roburque vehementius dilabi, quam torquente *Scarlatina maligna*: denique, *Cynanchen malignam* omnium longe deterrimam et periculosissimam esse.

DE CAUSIS SCARLATINAE FACIEI MUTATRICIBUS.

Tres quatuorve praecipue sunt morbi, qui PROTEI instar, alias alia exhibent signa: ni-

mirum, *Rheumatismus, Podagra, Erysipelas; Scarlatina.* Haud sane nescio plures alios quoque plurimum variare: hi tamen potissimum eam habent rationem. Quod ad causam *Scarlatinae* continentem, affirmare licet eam esse inflammationem *specificam* et *erythemoideam,* prius membranae *mucosae* faucium et partium his vicinarum infestam, et febris genitricem, deinde cutem summam petituram. Manifestum est, inflammationem hanc aggredi vix posse, nisi corpus vegetum sit, certeve non perquam sit imbecillum: pars aliqua enim cordi longo intervallo distans inflammata actionem cordis et arteriarum incitatam et fortem plane signifi cat et desiderat. Cujus rei exemplo sit inflammatio pedis *arthritica,* viribus fractis, subito decedere vel deesse solita. Fauces contra aliaeque partes cordi vicinae facilius inflammationem, vel actionem vasorum concitatam subeunt. Si igitur in animo habeamus virus pestilens, quod *Scarlatinam* gignit, istiusmodi esse, ut inflammationi membranae faucium *mucosae* et summae cutis ac-

cendendae habile sit; et nullam aetatem, corporis indolem aut habitum, neutrumque sexuum prae altero, affectet; at corpora omnia, quibus adhibeatur, pariter corripiat: intellectu non erit difficile cur facies huic morbo multiplex contingat. Modo validi, pleni et juventa florentes eo aegrotant; quibus ideo summa cutis laete ubique erubescit, faucesque levius inflammantur; scilicet, *Scarlatina* simplex vel *anginosa* invadit: eoque magis, si coelum nubilum et frigidum verque aut hyems huc accedant. Interdum contra, hoc virus pestilens autumno grassatur, et corpora adoritur languida malove habitu imbuta: quod sequitur, ut fauces inflammationem acerbiorem et maligniorem subeant, cutisque, prae cordis et arteriarum imbecillitate parum aut nihil efflorescat: nempe *Scarlatina maligna*, vel *Cynanche maligna* nascitur. Causa igitur praecipua variae faciei hujus morbi est natura propria viri pestilentis, unde nascitur: quod scilicet nullis corporibus humanis parcit; nullaque anni tempestate, nulla coeli ratione, non saevire consue-

vit; duabusque partibus, cuti et faucibus, infestum est.

DE DIAGNOSI.

Rubeola quodammodo morbum, de quo agimus, refert; cum vero nequaquam eadem remedia utrique conveniunt, permagni interest, signis collatis, haec mala invicem dignoscere posse. Quod in animo est brevi sermone prosequi.

Rubeola est inflammatio *catarrhalis* pestilens et propria in cutis ruborem sui similem brevi desitura: hinc gravedo, destillatio, oculi rubri et illachrymantes, sternutatio, vox rauca, et cursus pituitae acrioris e narium membrana; spirandique difficultas, praeter alias notas *catarrhi* proprias *Rubeolam* jam ineuntem, et progressam insigniunt. *Scarlatinae* autem fere deficiunt; vel, si adsint, fortuita

sunt existimanda. Faucium, porro, linguae et oris inflammatio, scilicet, *Angina*, quam *Scarlatinae* esse accendere proposuimus, *Rubeola* tortos non affligit. Siquidem *Rubeola* juvenes et vegetos saepius aggreditur, febris quam facessit, ardens et incitata esse solet. *Scarlatina* contra, ob causas jam expositas, febrem variam movet. *Rubeola* vexatis, cutis quarto die, paulove serius, papulis exiguis, confertis et aliquantulum eminentibus, efflorescit: *Scarlatina* contra aegris, secundo tertiove die maculis ruberrimis et amplis erubescit. Haec denique corpus multo magis quam illa calefacit; nec non cuticulam perquam densat; demumque, ob sudorem exinde suppressum aquam intercutem aliave hydropis genera, nec raro *Phrenitidem Hydrocephalicam*, molitur: vel fatum infelici, membrana *mucosa* in gangraenam ruente, adsciscit. Illa vero persaepe in pulmonis inflammationem (ad quam sane nunquam non multum inclinatur) vel *Phthisin pulmonalem* desinit; aut in *Ophthalmiam*: cuteque jam deflorescente, alvi fluxus mem-

brana intestini tenuioris inflammata ortus fere accedit. Hisce omnibus perpensis, nemini dubitare licebit.

Siquidem malum quod *Cynanchen malignam* voco, os et fauces sola, cute salva, adoritur, haud alienum erit notas proferre, quae eam a *Cynanche tonsillari* discernant.

Si quis *Cynanche maligna* laborat, nunquam desunt alii vicini aegrove isti familiares *Scarlatina simplici, anginosa* aut *maligna* implicati. Huc accedit *Cynanchen malignam* inflammationem esse *Erythemoideam*, ideoque late patentem ad linguam, os universum, animaeque saepe meatum, serpere; *Cynanchen tonsillarem* inflammationem esse *phlegmonoideam*, et ob eam causam amygdalas potissimum corripere: ex indeque illâ affectis spirandi, hac contra, devorandi difficultatem acerbiorem cruciare. Denique, illius est fauces ulceribus malis, crustis cinereis obductis, foedare; vires labefactare, febrem *typhoideam*

excitare, gangraenam saepe arcessere: hujus autem, suppurationem progignere benignam, febrem ardentem movere; et nunquam se pestilentem, aut summae cuti infestam exhibere.

DE PROGNOSI.

Hucusque absoluta re proposita, sequitur ut, quae notae spem, quae metum indicent, subjiciam. Jam satis edocuimus *Scarlatinam simplicem anginosa* esse tutiorem; *anginosam maligna.* At vero paulo altius hanc rem agitare oportet. Horum igitur malorum quodque modo levius tutiusque, modo gravius et perniciosius esse potest, prout varient aetas, coeli et tempestatum ratio, corporis habitus, locorum proprietates et alia bene multa ejusdem generis.

Salvus fore videtur, cui summa cutis ubique rubore quaesitissimo floret, et aliquantum

turget, et multum calet; cuique fauces leviter inflammantur, et febris maculis prodeuntibus mitigatur; cui insuper sudor *cuticulam* in squamulas abeuntem comitatur. Neque inter haec pertimescere decet, si aqua intercus supervenit, quippe quae causae mox abiturae debetur, nempe *cuticulae* densae nondum evolutae.

Eventus autem malus metuendus, si cutis maculas purpureas, vel ubique, vel hic illic sparsas exhibet: si vires labuntur, arteriae exiliter saliunt, et corpus minus exardet; si maculae ex ruberrimis livent, aut purpurascunt, derepenteve evanescunt; si fauces malis omnibus *anginae malignae* propriis afficiuntur, et anhelitus pessime olet; sive cutis iterum, squamis jam explicatis, efflorescit. Is vero in praecipiti versatur, cui artus tremunt, aut convelluntur; cui tendines digito imposito subsilire sentiuntur; cui os hiat, oculi sunt hebetes et madidi, vox faucibus haeret: quemque suspiria crebra et singultus angunt. Neque servari poterit, cui tument

glandes faucium, alvus animi injussu fluit, sanguis sua sponte e variis partibus elabitur; cui cutis sudore gelido humet; urina redditur pallida vel atra, corrupta et crassa. Uti nulla ex indiciis jam relatis non jure terrent, ita plura vel omnia fatum instare testantur.

DE MEDENDI RATIONE.

Non in animo est ita curationem proponere, ut remedia singulis hujus morbi generibus accommodata describam. Natura argumenti istam distributionem vix patitur; saepe enim, ut supra memini eidem aegro *Scarlatina* e *simplici* fit *anginosa*, ex hac *maligna*; vel rationem huic contrariam ostendit. Quin etiam, interdum speciem inter hasce mediam sibi induit. Satis igitur existimo praecipua remedia literis mandare, et eas leges praecipere, unde liqueat, quando et quousque iisdem sit utendum.

Scarlatinae omnigenae haecce auxilia et remedia aptantur. Conclave, ubi aeger cubat

perflatum accipere debet, eum in finem patentibus fenestris : ejusdem temperiem gradu circiter LX^mo insigniri oportet.

Æstus et frigus pariter nocebunt. Mundities summa servanda, lotis et saepe novatis stragulis et vestibus; urina et alvi dejectionibus protinus subductis, et parietibus, si liceat et opus sit, dealbatis. Praeter haec, quae tabum pestilens quoque hujus morbi parentem dolent vel extenuant et infirmant, eodem spectabunt vapores acidi in conclavi evoluti, veluti *acidum aceticum*, et *muriaticum*. Si *Scarlatina simplex* levissima torqueat, vix aliis auxiliis utendum nisi quod alvus solvenda, et victus e frugibus, pertenuisque dandus.

Persaepe tamen desiderantur alia; nimirum sanguinis missio, medicamina quae vomitum, alvum et sudorem movent, exulcerantia et rubefacientia, gargarizantia, roborantia, stimulantia, &c. de quorum singulis disputandum.

De Sanguinis Missione.—Quanquam nonnulli sanguinem mitti jubent, conjicio venas perraro utiliter aut tuto vacuefieri. Si delirium, aut spirandi difficultas torqueat, nec vires deficiant, satius erit hirudines aut cucurbitulas cruentas quam proxime partem imponere, quam brachii venam secare.

De Vomitus Moventibus.—Vomitus inter initia medicamento excitatus multum prodest, idque modo multiplici. Ventriculum enim et alvum acribus febrem exasperaturis expedit: spasmum ubique solvit; facit ut secernenda rite secernantur et excernenda excernantur: maximeque sudorem ciet: et sic non raro morbum jam ineuntem, feliciter exsolvit. Interdum quoque vel *Scarlatina* provectiori vomitus opitulatur, si actio ventriculi concoctrix insigniter perturbatur: alvi scilicet dejectionem perniciosam futuram praecavere potest. *Tartras antimonii* et *potassae* radice *ipecacuanhae* mistum optime conceditur. Eoque magis proficiet, si paululum sexta vel quarta quaque horae

parte sumatur, dum tandem aeger evomat: ita enim hoc medicamentum ministratum nauseam diutinam, sudoris genitricem, excitat, magisque alvum solicitat.

De Alvi Purgatione.—Uti alvum sorde liberare bonum est, ita vehementer liquefacere malum et perniciosum. Si aeger sit robustior et plenior, alvus initio expurganda, ope *submuriatis hydrargyri*, et radicis *convolvuli jalappae*; deinde datis salibus mediis. Per totum denique hujus morbi decursum, efficiendum ut alvus quotidie rite descendat, nec vero corpus dejectionibus liquidis et copiosis maceretur.

De Sudores Moventibus.—Inter principia, fere semper sudorem medicamentis elicere juvabit, praesertim si cutis praeter naturam caleat, rubeat, et inarescat. Praeparatis ex *antimonio*, scilicet *oxydo antimonii cum phosphate calcis* aut *vino tartratis antimonii*, et *aqua acetatis ammoniae* utendum. Eodem pertinebit succum *citri medicae* et

aquam super-carbonate potassae imbutam inter effervescendum potare: unde sitis quoque restinguitur, et nausea sedatur.

Quod si *angina* aut *Scarlatina maligna* urgeat, robur desit, corpus parum exardeat, nec cutis madore valet, medicamina jam dicta potius aegrum sudore profuso et intempestivo infirmabunt: certeve *opium* iis adjici debebit. Fere semper utile est pedes aquâ tepidâ lavare: genus enim nervosum exinde consopitur; delirium, si cruciet, sedatur, humoribus a capite derivatis: cutisque halitus ubique elicitur.

Ex omnibus tamen remediis sudori movendo idoneis nullum frigidario antecellit; quod Curreius, medicus ille solertissimus et vir ornatissimus perinsigni fructu adhibuit. Vix alicui medicorum, cognitis et servatis praeceptis Currianis ad idem attinentibus, hoc remedio intempestive uti licet. Si cui nempe *Scarlatina* implicato, cutis perquam

incalescit citra horrorem, aret, et erubescit, si arteriarum motus sunt fortiores et citiores; nec cerebrum, pulmo aut aliud quodvis e visceribus inflammatur aut praeter consuetudinem concitatur; CURREIUS et ejus aemuli frigidario uti consuerunt. Duplici ratione aqua frigida ministrari solet; modo aeger ei submergitur; alias aqua frigida corpori nudo affunditur. Quo plus cutis exardeat, eo frequentius aeger frigidario committendus erit. Nulla fere valetudo in tantum calefacit: persaepe instrumento FARENHEITANO axillae aut linguae subjecto, argentum vivum usque ad gradum CIV^{tum}, CVI^{tum} ampliusve ascendit. Nunquam signis jam relatis torquentibus, non recte ad hoc auxilium confugimus: optime vero tempore vespertino; eo quod febris tunc fere exacerbatur. Quod ad aquae temperiem, insigniri debet gradu circiter LX^{mo}. Si rite et legitime admovetur, miros et salutares edit effectus. Summam cutem ubique leniter madefacit; sitim restinguit, omnia equidem secernen-

da et excernenda secerni et excerni facit: ardorem imminuit; cor arteriasque sedat: febrem mitigat; somnos demum refecturos conciliat.

Nosse vero juvat frigidarium laesurum esse, si corpus frigeat, et horrescat, si cor et arteriae concidant, et robur desit, aegro simul vigilante et irrequieto. Satius erit, hisce malis vexantibus, cutem summam spongia aceto diluto madida humectare; vel corpori aquam tepidam affundere. Denique, frigidarium, contritis viribus, nunquam non fugere decebit; hoc enim remedium initio humores intus impellit; sudorque postea erumpit, quod cor, permagna sanguinis mole accepta, renititur: imbecillis igitur renixus non sequitur. Hinc perraro *Scarlatina maligna* frigidarium desiderat.

De Exulcerantibus et Rubefacientibus.--Nonnunquam juvat cutem circa fauces *emplastro melöes vesicatorii* exulcerare, vel *oleo*

ammoniato eive similibus rubefacere. Non autem inter medicos convenit, prosint an noceant haecce remedia. Procul dubio frequenter *angina tonsillari* affectis opitulantur; eo quod, cutis inflammatione movenda, sanguinem ad exteriora impellunt: parique ratione haud parum, ullo fere viscerum inflammato, auxiliantur. Hic vero metuendum, ne inflammatio vel exulceratio arte concitata in gangraenam praeceps ruat. Vix, me judice, nisi ineuntibus malis, et ubi actio abnormis cerebri aut pulmonis adest, haec remedia adhibere licet: certeve tunc utile est, admoto *oleo camphorato* aut *ammoniato,* cervicem summam rubefacere. Ex jam propositis in aprico est *Scarlatinam malignam* et *Cynanchen malignam* nunquam ista desiderare.

De Gargarizantibus.—Omnigena fere angina vexante, fauces gargarizare prodest. Medicamina, quae hunc in finem praecipi consuerunt, duplici modo succurrunt; nimirum, humorem vitiosum et acrem diluunt

et expellunt; qui non ejectus malignam inflammationem et exulcerationem faucium latius patere et exasperari facit: necnon gangraenam futuram arcent et praecavent. Usitatiora sunt aqua, ex qua cortex *cinchonae officinalis* decoctus fuit, *acido sulphurico, nitrico* vel *muriatico* imbuta, et *infusum rosae Gallicae.* Si cui fauces notas sibi praeferunt *Scarlatinae anginosae,* iisdem optime utimur. Quod si fauces livent aut purpurascunt, caeterisque malis *Scarlatinam* aut *Cynachen malignam* insignientibus implicantur, supra comprehensis rite adjiciuntur, vinum rubrum Lusitanicum, nec non, (si humor acer ante dictus ex improviso faucibus deficere videatur) aqua quae prius fervefacta fructui *capsici annui* infusa fuerat, quovis gratorum *aromatum* infecta. Nec solum oportet fauces horum ope gargarizare, eo enim magis proderunt, si faucibus lotis, dein ingurgitantur. Potissimum equidem illud de vino et praeparatis e cortice *cinchonae officinalis* praedicandum. Ne multa, denique, haec remedia facultate perinsigni pollent, fauces

expurgant; gangraenae occurrendi, et vires refocillandi. Semperque fauces saltem *acidis* dilutioribus lavandae, etiamsi indicia inflammationis malignae et gangraenae non urgeant ista enim sitim restinguunt, refrigerant, et jucunditatem quaesitissimam aegris conciliant. *Chlorinum* aqua solutum quibusdam permagni esse videtur.

De Roborantibus et Stimulis.—Ubi jam *Scarlatina* aut *Cynanche maligna* vires labefactaverit, et gangraenam lethalem infelici minitatur; vel *Scarlatina*, (qualiscunque initio fuerit) diuturnitate confirmatur, et ad fatum pede celeri properat; gargarizantibus jam memoratis accedere oportet remedia, quae viribus concidentibus succurrunt, genusque nervosum dilapsum refocillant. Ex his maxime valent vinum rubrum Lusitanicum largius et saepius ingestum, atque *opium*. Hujus vero modi exigui crebrius sunt sumendi, commixta *camphora* vel *carbonate ammoniae*. *Æther sulphuricus* saepe plurimum juvat.

Praeter haec, potui simul aptissima erunt succi fructuum aciduli, et cerevisia fortior. Cibo vescendum concoctu facili, simplici et opimo.

Ea quae supra disserui de viro pestilenti, hujus morbi fonte, extinguendo, summa ope ab initio usque ad finem sunt servanda; praesertim sane, *Scarlatina* faciem malignam sibi induente, et inveterata: tunc enim corpora aegrotantium maxime tabum pestilens exhalant; qui ideo, quantum fieri possit, sanis subducendi sunt.

Aqua intercus *Scarlatinae* supervenire solita, siquidem longe saepius sudore suppresso, unica causa nascitur, fere datis medicamentis alvi, urinae et cutis halitus moventibus, tollitur. Inter revalescendum, oportebit hominem panno laneo vestire, quo frigus arceatur; quotidie citra fatigationem et profusum sudorem exerceri atque cibo simpliciter cocto, et e carnibus confecto, ali.

FINIS.